

in Epistola I. §. XXVI. ad Corinth. primus inter Patres, Iobi uerba cap. XIX. u. 25. de resurrectione intellexit. De resurrectione locutus, dicit: *Et rursum Iobus dixit, et resuscitabis carnem meam hanc, quae omnia haec perpesta est.* Irenaeus, qui secundo Seculo uixit, cum expositionem doctrinae Euangelicae, quam Ecclesia ab Apostolis accepit, repeteret, scripsit: *Ecclesia per uniuersum orbem disseminata, ab Apostolis et eorum discipulis accepit fidem, quae est in unum Deum etc. et de coelis in gloria Patris aduentum eius, ad recapitulanda uniuersa, et resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Iesu Domino nostro et Deo et Saluatori et Regi, secundum placitum Patris inuisibilis omne genu curuet, coelestium, et terrestrium, et inferorum.* L. I. cap. II. p. m. 45. similiter L. II. c. L. I. p. 179. idem scripsit: *Verus et firmus emerget de resurrectione corporum sermo. Quem quidem credimus nos: quoniam et mortalia corpora nostra, custodientia iusticiam, resuscitans Deus, incorrupta et immortalia faciet.* Plura apud eundem Irenaeum extant testimonia, quae resurrectionem corporum probant, quae praetermittimus. Tandem TERTULLIANVS, qui tertio seculo floruit, adduxit fidei regulam, in omnibus ecclesiis receptam. *Regula fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et filium eius Iesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertio die resuscitatum a mortuis, receptum in coelis, sedentem nunc ad dexteram patris, uenturum indicare uiuos et mortuos, per carnis etiam resurrectionem.* De virginibus Velandis Cap. I. p. m. 385. Ex his abunde patet, resurrectionem corporum ab antiqua ecclesia priorum seculorum esse unanimi consensu receptam et creditam.

§. XII.